

Sed jam vela contrahere prolixo sermonis decet. Faciamus interrogationem postremam:

QUANDO
Ponenda sint præjudicia,
& demonstrationes judicii
præmittendæ?

222. **O**mnia tempus habent. Bellum igitur præjudicii indicendum tempus habebit futurum.

Et ante centum, & paulo plures annos nondum fuit hoc belli tempus. Nondum enim erant missi faciales, nondum vivebant hi nostri monitores; præsertim non auctor spiritus legum, quippe natus nudius tertius. Illo igitur tempore in pace erant præjudicia.

223. At hodie regnum rationis opes suas adauxit plurimum. Rarum est, ut duo regna opulenta, vicina, viris, armis frequentia diuturna pace fruantur. Regnum præjudiciorum vetustate sua & amplitudine grave, opes ex longa pace cumulavit, dominatum extendit in omnem quæ late patet, orbem terrarum.

224. Regnum rationis novum quidem, sed irrequietum & improbum; angustum quidem, & fere in folius septentrionis ali-

qua parte conclusum (quippe Auster Catholicus ignorantia præjudiciorum adhuc paret) at tamen magna opinione tumidum, ranæ instar contra bovem sese inflat.

225. Fieri vix potest, ut adversarii tam potentes non ruant in arma. Bellum in Europa maxime geritur: nam Asiani incapaces sunt ad omnem motum, ad omnem conatum animi.

226. Cum igitur hodie, ac heri nati sint regno rationis duces & faciales, hodie erit belli hujus tempus. Regnum præjudiciorum educit copias suas, Philosophos meliores Græcos & Romanos: leges Romanas, totum apparatus legum Ecclesiasticarum, Patrum & doctorum: Ducem vero sequitur Christum, & quidem patibulo affixum.

227. Stultitiam hanc abominatur regnum rationis, & in aciem educit methodos scientificas, principia & elementa Cartesiana, harmoniam præstabilitam, assistentiam Mallebranchianam, Rationem sufficientem Wolffianam. Ducem sequitur non unum, quippe *qui velit ingenio cedere nullus est*, sed multos, varios, inter se discordes & pugnantes, Hobbius, Puffendorffius, Leibnizius, Grotius, Wolffius, Spiritum legum, Gundlingium.

228.

228. Jamque concurrunt: fit pugna. Sed nostram jam nos alii agamus rem. Quando, quo tempore præjudicia ponenda nobis sunt, & demonstrationes præmittendæ? hodie, cras, perendie?

An statim infantes debent demonstrationes quarere, ante quam quidquam judicent? Nempe deinceps Platonem & Catones ex utero matris prodibunt. Sed ajunt, præcoci ingenii pueros raro senescere. Deinceps igitur rari erunt in orbe senes: cumque in senibus hactenus sedem sapientia plerumque habuerit, deinceps rari erunt in orbe sapientes. Et quò dein regnum rationis? viris, viribusque illud destitui necesse est.

229. Sed quo demum, dic fides, ætatis anno incipiendæ sunt demonstrationes? Tertio, quinto, septimo, an decimo?

Non ais? & cur non? Quia infantes & pueri sunt incapaces ad omnem motum &c.

Ergo nihil debent discere pueri? quomodo enim discant, nisi sciant demonstrare? Discant in suam perniciem, quia mera præjudicia discant, eoquod non possint præmittere rationes demonstratas.

230. Discant ergo, inquis, præjudicia pueri; præjudicia necessaria sunt pueris. Sed deinde ea deponere debebunt. Viris non sunt necessaria præjudicia; quia viri sciunt demonstrationes necesse. Viris noxia sunt præjudicia. Nocent viris ea, quæ pueri debuerunt discere.

231. Virilis ergo, ut nunc audio, ætas est illud tempus, quo præjudicia sunt deponenda. Viri facti debent judicium omnia, quæ in pueritia, adolescentia ac juventute fecerunt, revocare, ac penitus à se abdicare, quia fuerunt præjudicia. Nunc autem, antequam de novo quidquam judicent, debent demonstrativas rationes conquirere, necessarias ad omnia deinceps judicium faciendæ.

232. Non repugno ego, neque hunc laborem viris invideo. Sedeant, laborent pro virili parte. Duo sunt tamen quædam, quæ de felici eventu mihi metum creent.

Primum. Viri facti dicent: ego jam scholas egressus sum, non amplius sum adolescens, qui logicen ac metaphysicen discam. Hæc adolescens didici; factus vir jam sum oblitus. Nunc instat uxor, circumdant liberi, familia panem flagitat; vocat tribunal: negotia caput obruunt, fomnum

somnum eximunt, vix pastui relinquunt horam: & ego scholarum nugas, & speculationes metaphysicas retractem? Apage, non faciam.

233. *Alterum*, quod metuum, non est, nisi quædam impossibilitas. Si viri debent præjudicia ponere: præjudicia autem sunt omnia illa, quæ pueri, adolescentesque didicerunt; debent viri exuere omnia, quæ pueri didicerunt. Hoc autem facto scient nihil, & erunt de novo pueri, & discere omnia de novo debent. Qui autem antea nihil scit certo, & tamen discit, iudicat non præmissa ratione. Igitur viri hi de novo debent iudicare non præmissa ratione: non præmissa autem ratione iudicare præjudicium est. Viri igitur hi debent præjudicia facere, & habere, qui non debent habere, & facere præjudicia. Contradictoria sunt hæc, atque hinc dixi parvam aliquam impossibilitatem me metuere, si secundum horum consilium aetatem virilem designem, tanquam tempus ponendorum præjudiciorum.

234. Parva, inquam, impossibilitas hæc est. Nam auctor spiritus legum, qui contradictionem climatis tam dextre dissolvit, facile etiam hoc nos metu liberabit. Pulcris enim antithe-

tis nos demulcebit, forte dicens: Eadem virilis aetas, quæ viros obligat ad nihil sciendum, obligat eos etiam ad omnia sciendum. Idem vir, qui deponit omnia quæ didicerat, tamen scit adhuc omnia, quæ deposuerat. Sicut alibi dixerat: Idem clima quod facit Asianorum animum incapacem ad omnem conatum, facit eundem esse in continua actione: quod clima fecerat Indum metuentem mori, eundem facit morti intrepidum obviare. Et quid nos contradictoria obijcimus inanes? contradictoria pulcra sunt, & quamvis sint *impossibilia*, sunt tamen *admirabilia* ad faciendas sententias, & Antitheses: sicut doctrinæ aliquæ, quamvis sint *false*, tamen sunt *admirabiles* pro societate.

235. Incidi nuper in libellum Sophisticum Litterarum Ægyptiacarum, ubi fanaticus auctor, qui semper in ore habet Præjudicia, & reportatam de iis victoriam, sustinet etiam definire *Præjudicium*, sed more istis hominibus proprio, nempe ut & definitionem æque, ac definitum ignores. Sic ait: *Vous savez, que le préjugé exclut la reflexion, & qu'il est sujet à proscrire le vrai pour adopter le faux. Voilà la source féconde de l'erreur, où puisent des peuples entières. Que dis-*

je!

je! *C'est un torrent impetueux, qui non seulement ébranle les plus fermes rochers, mais qui les entraîne souvent.* Hoc est: „ Scis, quod

„ præjudicium excludat reflexionem, & quod sit obnoxium ad proscribendum verum ut adoptet falsum. Ecce tibi fœtem fœcundum erroris, ex quo hauriunt toti populi. Sed quid dico? Hic est impetuofus torrens, qui non solum movet firmissimas cautes, sed qui eas sæpe secum abripit. „

Neque hac definitione contentus, addit alteram ex Salomone anglico, si superis placet, hoc est ex Poppio: quæ sic sonat: „ Præjudicium est in mundo civili, quod amor est in mundo morali, primum mobile, & omnium illiciorum fortissimum.

236. Pulcra utrobique verba, & digna bellis spiritibus. Sed ubi rem consideras, inanes soni, quales edere necesse est homines principiis destitutos, & erraticos, & quibus videntur deesse primæ etiam rerum notiones.

Et Poppio quidem Poëtæ ignosci potest, qui oestro, ut fit, incitatus nesciret quid diceret. *Præjudicium civili* tantum statui tribuit, à morali excludit. In ipso statu morali amorem dicit

illicium per metonymiam causam fumens pro effectu. Nam illicium est id, quod amorem provocat.

Fanaticus autem ille, qui philosophos omnes præ se desipere sperat, quid dicit, ex quo possemus præjudicium discernere ab aliis quæ non præjudicia sunt? Admodum nihil. Qui enim præjudicium dicit *fontem* errorum, non magis me docet, quam is qui diceret iudicium esse fontem veritatis.

237. Sed, ait, *Præjudicium excludit reflexionem*. Quid intelligit per reflexionem? Non facile mihi id designabit. Si enim reflexionem intelligit agnitionem *rationis* seu causarum ex quibus iudico, duo ipsi sequuntur incommoda. Primum omnia quæ hactenus quæsimus de demonstratis rationibus debent accurate definire, quem laborem credo ab ingeniis tam defultoriis & versatilibus nunquam finiendum. Deinde nescio quomodo alia ejus auctoris verba aliquid significant supra exscripta; *Præjudicium est obnoxium ad verum proscribendum & falsum adoptandum?* Quippe ad hoc faciendum obnoxia est *Ratio*: igitur is auctor per præjudicium non videtur intelligere rationem, & si os ipse vites incidit. Rationem suadet, ut ex-

G

tir-

tirpentur præjudicia: & illa ipsa ratio est præjudicium, est fons errorum, in quo hauriunt integri populi & quæ solidissimas etiam rupes, hoc est magna ingenia & fortes spiritus abripit. Ratio enim vel rationis opinio præsumpta abripuit tum alios tum ipsam hunc fanaticum auctorem. Huic enim exposuit aliquis bellam fabulam de spiritu hominis, qui dormiente homine non maneat in eodem, sed aliorum migret, & cum evigilandum est, subito ad domicilium revertatur. Hoc ingeniosum systema ait sibi primo novum esse visum, & ex novitate suspectum: se illud damnaturum fuisse, si fuisset præceptum in iudicio ferendo, hoc est, si præjudicium secutus fuisset: nam præjudicium (ita mox subdit) *excludit reflexionem, & obnoxium est ad proscribendum verum.* Dicit ergo, se hanc veritatem de spiritu humano defultorio proscriptionum fuisse, si reflexiones non fecisset: hoc est, si rationes non inquisivisset demonstratorias huius veritatis. Quas autem invenit demonstrationes? pudor est dicere, contradictorias. Sunt autem hæ: Spiritus est semper in actione, imo actio est ipsius essentia: Atqui in dormiente spiritus non ageret: igitur spiritus in dormiente non est. Pro-

bat (nescio autem quam argumenti partem probet) à simili. Materia omnis est in actione, & si vel una atomus non semper moveretur, tota universi machina cessaret, adeo ut quilibet lapis possit dici vivere. Spiritus autem non est deterioris conditionis quam filix. Ergo si spiritus maneret in homine cum ejus organa sunt per somnum immobilia, quomodo posset spiritus in dormiente agere, cum certe non agat nisi mediantibus organis. Igitur aut exire spiritus à corpore debet, aut debet cessare esse spiritus.

Ridicula demonstratio etiam nautis & aurigis. Atomi etiam in silice semper moventur: in dormiente tamen organa sunt immobilia, tametsi ex atomis composita. Spiritus etiam tametsi ipsius essentia sit motus & actio, in dormiente tamen non posset moveri. Rursus cum spiritus essentia sit actio, tamen spiritus non agit, nisi mediantibus organis materialibus, igitur spiritus non habet essentiam suam nisi mediante materia. Rursus spiritus non agit nisi mediante materia: igitur ut agat debet è materia exire. Potestne calida febris affectus plus despere? Et ut *præjudicia* expugnentur, debent magistri tam pueriles au-

diri?

diri? Hoccine est præjudicia sanare, veritates contestatas miserimè sophismatis substernere? Et hi sunt illi sapientes, qui *acceperant à DEO rationem pro duce, nec duces alios agnoscunt?* Quod idem fanaticus auctor facit, auctori spiritus legum similis ut ovum ovo. pag. 92.

238. Et hæcenus quidem opinor, satis ostendi, quam incautæ sint illæ admonitiones ex regno rationis non optimo profectæ, quæ nos jubent *præjudicia* ponere, nullo allato discrimine, nulla

notione, nulla necessitate, nullo fructu, sed sola lubricitate sua.

239. Hoc elucidare promissi non aliud. Ut ego, jam dicam, *quæ sint demum præjudicia? quomodo ponenda?* aliaque id genus; meum opus non est. Illis hoc incumbit facere, qui præjudicia ponere nos jubent, siquidem boni doctores sunt, & *regni rationis* vel mediocres cives. Ex quo mihi videntur hi monitores *præjudicium* non *sine præjudicio* damnassee, & de *præjudicio* iudicium tulisse ante rationes præmissas.

I. O. G. D.

